

quem aliàs (כ) quod ante infinitivum solet exponi per cum vel postquam: pag. 149.

יום יום h. e. quotidie: ) Tag für Tag. confer Gen. xxxix, 10. Psalm. LXVIII, 20. Jesh. LVIII, 2. Chaldeus primum diem accipit de die redemptionis Israelis, alterum de die, quò יוֹם יוֹם inungitur rex Messias, ut regnet. Verùm quàm ablutant hæc & ab indole linguæ, & à reipsâ, non opus est pluribus ostendere.

USUS PRACTICUS E VERSU II.

- (1) Oratio nostra sit Rinna & Thphilla: vid. explic. textus.
- (2) De exauditione precum in L. de Oratione.

USUS E VERSU III.

- (1) Ubiqunque terrarum sumus, locus tamen datur precibus. Loci qualitas ad preses nil valet. Joh. IV, 23.
- (2) Animi deliquia etiam fidelibus perspecta esse solent, ob dolorum magnitudinem, affectuum vehementiam, &c.
- (3) Securitas, qualis in præaltis & inaccessibleibus rupibus, à Deo conceditur diversimodè, modò invocetur sermo.

USUS E VERSU IV.

- (1) Ex beneficiis prioribus (fuiſti mihi perfugium) meritò inferimus nova & futura: Psal. LXXXV, 1. seq.
- (2) Deus est perfugium, asylum, turris inexpugnabilis, quando derelictos ad se confugientes protegit, hostes abigit, libertatem restituit, intereaque necessaria qualibet subministrat: Nah. I, 7. Absit igitur omnis hesitans pusillanimitas: Jac. I, 6.

USUS E VERSU V.

- (1) Maximum pie mentis desiderium fertur ad sacrum Dei tabernaculum. Quid omnia mundi palatia ad hoc salutare cum Deo commercium?
- (2) Quod hic inchoatur, in caelo per omnem ætatem continuabitur.

PSALMI LXII. DISPOSITIO.

Omnipotens Deus. In Deo quies. Homo nihili, Deus potens.

Inchoat David. I. à fidei suæ professione:

(1) ad Deum silens mea expectatio, vel in Deo tranquillè acquiesco: v. 2. (2) salus mea proficitur ab ipsò: ibid. (3) ipse petra mea: (4) salus mea. (5) perfugium meum, ut ne dimovear: v. 3.

Sequitur II. reprehensio hostium (1) ob continuatam unius viri (innocentis) oppugnationem: v. 4. (2) homicidii machinationem: (3) parietis inclinati concussionem ibid. (4) contra dignitatem superiori debitam, consultationem: v. 5. (5) mendacii approbationem: (6) blandiloquentiam fucatam: ibid.

Repetitur III. prior professio: (1) in Deo silet anima mea: v. 6. (2) ab ipsò fausta quæque spero: ibid. (3) ipse petra, salus, perfugium, gloria, robur meum: v. 7. 8.

(3) Alæ divinæ suavissimum fiducia nostræ pabulum ac fulcimentum, vid. Matth. XXIII, 37.

USUS E VERSU VI.

- (1) Auditus Dei exquisitissimus, exciit et in nobis reverentiam, circumſpectionem in sermonibus, ac votis præfertim, item in precibus &c. Psalm. CXXXIX, 4.
- (2) Timendum est nomen Domini, h. e. quicquid ad Deum nobis revelatum spectat.
- (3) Hæreditaria bona non ab alio, quàm à Deo ipsò, suppeditantur, & quidem per parentes, per laborem, per gladium, ut Canaan Israëlitis, &c.
- (4) Impii non sunt legitimi fundorum possessores, quippe qui non timent nomen Domini. Vivunt quandoque ex rapto instar belluarum, &c.
- (5) Piorum hæreditas non tam præsens, quàm futurum concernit seculum.

USUS E VERSU VII.

- (1) Orandum pro magistratu ex mandato Domini, etiam idololatrico: Jer. xxix, 7. 1. Tim. II, 2.
- (2) Longævitas inter bona huius seculi refertur non immerito, vigore promissi, quarto præcepto annexi. Prov. VIII, 18.
- (3) Messias solus est rex immortalis ac sempiternus; Dan. VII, 14. II, 45.

USUS E VERSU VIII.

- (1) Quisque magistratum sciat, se sedere in conspectu Domini: 2. Par. XIX, 6. seqq. Psalm. LXXXII, 13.
- (2) Qui regimen exoptat constans, constanter suo adhereat Deo.
- (3) Gratix seu Clementia ac veritati studendum imprimis, sicut easdem erga nos exoptamus ab ipsò Deo.

USUS E VERSU IX.

- (1) Celebrandum est Dei nomen canticis, &c. vid. præc. II.
- (2) Votorum quotidie debemus esse memores, imò reipsâ eadem exsolvere.

IV. Fluit hinc exhortatio aliorum (1) sperate in ipsò semper: v. 9. (2) effundite coram eò cor vestrum: ratio Deus latibulum nostrum: ibid.

V. Dehortatio ab æstimo hominum: (1) sunt mera vanitas, mendacium, nihilum: v. 10. hinc (2) ne confidatis oppressioni: v. 11. (3) rapinæ (vel bonis raptis) ne tribuendo quid evanescat: (4) opibus accrescentibus ne apponatis cor: ibid. ratio: soli Deo competit robur universum; adeoque nullibi, præter eum, figenda est fiducia: v. 12.

VI. Conclusio: (1) Deus solus est gratioſus: v. 13. (2) solus justus: ipſius enim est, rependere cuius pro ratione factorum: ibid.